

Alte Drucke

**Passio Domi||NI NOSTRI IESV CRI-||sti secundum
Mattæum in de-||cem Homilias diuisa, per D. Ioannem
Chrysostomu[m]. || ... ||**

Johannes <Chrysostomus>

Parisiis, 1547

HOMILIA LXXXIII. EX CAP. XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150600

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

statibus animę nauicula, cum fluctibus fatiscant cōpagines, deferemur in illum portum, nō spiritales merces, sed multū ac sordidum lutum deportātes: vnde diabolo quidem risum incitabimus, nobis vero ipsis perpetuam mōsticiam cōparabimus, intolerabili ac æterno cruciatu vexati. Quod ne accidat, vndique colligamus nos, & aduersus omnes passionēs pugnantes, cupiditatem pecunię penitus prōiciamus, vt & hic tranquillē viuamus, & futuram beatitudinē adipiscamur, gratiā & misericordiā domini nostri Iesu Christi, cui honor, &c.

HOMILIA LXXXIII. EX CAP. XXVI.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, atque fregit, & dedit discipulis suis, &c.

C Oercitatem proditoris, qui cum ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit, & diuina mensa susceptus, in melius commutari noluit: quod Lucas significauit, dicēs, quia post hoc satanas introiuit in eum, non

Luc. 22.

quia dominicum corpus despiceret, sed quia proditoris stoliditatem irridebat: maius enim peccatum vtraque ratione fiebat, quia tali animo mysteriis susceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est: Christus autem omnia quanuis sciret, vetare tamen eum noluit, vt tu discas nihil ab eo prætèrmitti, quod ad emendationē pertineat. Prætèrea tam in superioribus, quàm in sequentibus crebro eum reuocat, & verbis & operibus, timore, colendo, minando, honorando retinere studebat, sed nihil horum illi mēderi potuit. Quare illo non prætèrmisso, his mysteriis in memoriā cordis suę rursum discipulos reuocat, & inter cœnandum de cruce disputat, crebritate prædictionis dolorem mitigans discipulorum. Quid enim passi nō fuissent, si eos ita nō confirmasset, qui etiam his omnibus pramoniti cōturbati sunt? Et comedētibus, inquit eis, accepit panem, & fregit, Quam ob rem passionis tempore hoc mysterium tradidit: Vt vndique discamus ipsum vererem etiam legem sanxisse, & omnia quę in illa sunt propter nouam hęc adumbrata fuisse: hac igitur de causa veritatem figurę adiunxit. Vespera verò illa adimpletionis temporum signum erat, & quia iam ad consummationem ipsam res peruenerunt. Gratias porrò egit, vt nos instrueret, quomodo mysterium hoc facere debeamus

beamus, & simul vt ostenderet sponte se ad passionē profici-
sci. Præterea vt nos doceret omnia, quæ patimur, cum a-
ctione gratiarum esse ferenda, ac bonam nobis spem inde
immitteret atque foueret. Nam si figura à seruitute libera-
uit, multo magis veritas terrarum orbem vendicabit. Ad-
hæc, vt significaret quod ad beneficium naturæ humanæ
traderetur, ideo nec ante hoc mysterium tradidit, sed quan-
do cessare iam legem oportebat. Præcipuam autem solenni-
tatem eorum dissoluit, ac ad aliam eos mensam horroris ple-
nam cōuocans dicit: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meū,
quod pro multis frangetur in remissionem peccatorum. Quomo-
do turbati nō fuerunt cum hoc audissent? quia multa iam, &
magna de hoc antea disseruit. Quopropter nec illud quod
iam crebrō perceperant confirmauit, sed passionis causam
peccatorum esse remissionem exposuit, & noui testamenti
sanguinem vocauit, hoc est, pollicitationis & promissionis
legis nouæ. Hæc enim rursus pollicitus est, & testamentum
nouum hoc ipsum confirmat, & quemadmodum vetus pe-
cudes & vitulos habebat, eodem modo nouum dominicum
possidet sanguinem. Morituum se hinc etiam ostēdens, re-
ducatur quod similiter per sanguinē reuocabitur, atque fie-
bat. Causam deinde rursus mortis suæ subiecit, dicens: *Qui
pro multis effunderetur, &c.* Deinde ait: Hoc facite in meam
commemorationem. Vides quomodo ab Iudaicis abducit,
& auocat moribus? Nam sicut illud in rememorationem mi-
raculorum, quæ in Aegypto patres vestri viderunt facieba-
tis, sic & hoc in meam facite commemorationem. Sanguis
ille ad primogenitorū salutem fuit effusus, hic in remissio-
nem totius orbis peccatorum. *Hic enim est sanguis meus (in-
quit) qui effunderetur in remissionem peccatorum.* quod dicebat
vt ostenderet passionem & crucem mysterium esse, & disci-
pulos hinc consolaretur. Et quemadmodum Moses, hoc æ- *Deut. x6.*
ternum vobis erit memoriale, dicebat: sic & ipse, in meam,
ait, commemorationem, donec veniam. Hæc de causa desi-
derio desiderauit hoc pascha vobiscum manducare, quo vos
spiritaless faciam. Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis ver-
bis illis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & car-
nem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quan-
do prius de his verbis fecit, multi solummodo propter
verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque ac-*

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

cideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret. Quid porro vetus quoque hoc facere potuit, inquit? Minimè, ideo enim hoc facite, dixit, vt ab illo abduceret. Præterea ſi remiſſionē hoc peccatorum facit, ſicuti certè facit, ſuperuacaneum illud omnino eſt. Sed ſicut in veteri, eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam myſteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, vnde patet immolatum Chriſtum fuiſſe? & alia multa myſteria: hæc enim afferentes ora ipſorum conſuimus. Si enim mortuus Ieſus non eſt, cuius ſymbolum ac ſignum hoc ſacrificium eſt? Vides quantum ei ſtudio fuerit, vt ſemper memoriā teneamus pro nobis ipſum mortuum fuiſſe. Nam quoniam Marcio, Valentinus, Manichæus, eorūque ſequaces negaturi erant hanc diſpenſationem, in memoriam paſſionis per hoc ſemper ita reducit myſterium, vt nemo non inſanus ſeduci poſſit. Ita per ſacraſſimam iſtam menſam & ſaluat, & docet. hoc enim caput bonorum omnium eſt. Quare hoc Paulus voluit ac repetit, ſed tradito iam myſterio. *Non bibam aut, de hoc genimine vitis, uſque in diem illam cum illud bibam nouum vobiscum in regno patris mei.* Nam quoniam de paſſione ac cruce locutus, & reſurrexionis iam meminit, regnum patris eam appellans. Sed quam ob rem poſt reſurrexionem comedit, ac bibit? Ne phantaſma quoddam reſurrexio à rudioribus putaretur, qui certum reſurrexionis argumentum id eſſe dicunt. Vnde Apoſtoli quoque manifera reſurrexionem dicebant, *Qui comedimus cū eo, ac bibimus: Vt igitur ſignanter exprimeret, quia videbunt eum poſtea quam clarè reſurget, & quia cum eis ruruſus ita futur⁹ eſt, vt & rebus & viſu reſurrexioni poſſint teſtimoniū præbere, quouſque iſtud bibā vobiſcū (inquit) nouum? Teſtes enim vos eritis, quia videbitis me, poſtquam reſurrexero. Nouum autem, hoc eſt, nouo modo quodam, imò inaudito, atque mirabili: non enim paſſibile corpus habens, ſed immortale, atque incorruptibile, alimentūque non indigens ſurrexit. Quare cū opus non erat, poſt reſurrexionem comedit & bibit, cū eius corpus iſtis nullo modo amplius indigeat: ſed vt certiori argumento reſurrexionem firmaret. Sed cuius rei gratiā non aquam, ſed vinum poſt reſurrexionem bibit? Pernicioſam quandam hæreſim radicitus euellere*

Aſio. 10.

euellere voluit, eorum qui aqua in mysteriis vtuntur, ita vt ostenderet, quia & quando hoc mysteriū tradidit, vinū tradidit, & iam post resurrectionē in nuda mysterij mensa vino vsus est. Ex genimine autē, ait, vitis, quę certe vinum nō aquam producit. Et hymno dicto exiuerunt in montem oliuārū. Audiāt omnes qui quasi porci cum iam comederint, cuersa calcibus mēsa temulēti cōsurgunt, cū agere gratias debeāt, & in hymnum à mensa deuenire. Audiatis etiam quicumque vltimam mysterij orationem nō expectatis, quā illius symbolum est. Gratias enim egit, antequā discipulis dederit, vt etiā nos ab actione gratiarū incipiam⁹. Gratias egit postea quam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus. Quare autē ad montem proficiscitur, ad locū etiam Iudæ notissimū? Ne celare se videretur, prodire voluit. quō cū peruenisset, omnes vos, inquit, scādalizamini in me: & prophetiam subiecit. *Scriptum est enim: Percutiam pastore, & disperserētur oves gregis.* His vtitur, tū vt re ipsis persuadeat, atēdēdum semper scripturis esse, tum vt significaret dei se voluntate crucifigi, ac vndique nō esse alienum à veteribus se demonstraret, nec aduersarium deo, quem vetus sequitur testamētum. Et quia omnes prophetae à priscis temporibus dispēstationem hanc futuram prādicarunt, quare meliorem spem expectādā esse hortatur? Illud etiam per hanc prophetiam docet, quales videlicet ante crucē, quales post mortem discipuli fuerunt. Nam qui nec stare quidem cum proderetur potuerunt, robusti postea, & Adamante validiores fuerūt. Hic autem metus, & fuga discipulorum mortis eius argumentum est. Nam si tot tantisque factis, ac dictis impudenter nonnulli asserunt non fuisse ipsum crucifixum, quid dicere non audent, si nihil horum accidisset? Hac de causa nō ipsa passione solum, verū etiam & mysteriis & discipulorum dispersione verē se mortuū fuisse declarat. Marcionis morbū his omnibus euertēs: ideo etiam ipsum Apostolorum verticē negare permisit. Si enim victus, crucifixusque non est, vnde & Petrus, & ceteri tanto pauore pulsi surerunt? nō tamen dimisit eos in mœstitia. Sed quid? *Postquā autē resurrexero, prācedam vos in Galilea, &c.* Non enim statim apparuit, neque in lōgam quādam abiit regionem, sed in eadem regione, & eisdem penē locis apparet, vbi crucifixus est. Vt etiam hinc credi faciat, quia ille ipse resurrex

Zach. 13.

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

rit, qui crucifixus fuit: ita mœrorem eorū cōsolatus est. Idcirco autē in Galilæa dixit, ut à timore Iudæorū liberati, facilius verbis suis & attenderēt, & arderēt: hac enim de causa ibi apparuit. *Tunc respondēs Petrus dixit: Et si omne scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Quid ais Petre? Propheta dixit, quia oves dispergentur. & Christus dictum confirmavit, & tu negas? Non satis tibi est, quia cū pridē iam dixeris. Propitius tibi esto, i crepatus fuisti? Idcirco igitur permisit ut caderet, ut in omnibus disceret Christo parere, veriorāque dicta istius crederet, quā sua sibi cōscientia testaretur. Sed & cæteri non parum à negatione Petri fructus acquisierunt, humana infirmitate, & Dei veritate percepta. Cū enim ipse aliquid prædixerit, nullus se sapientiorē putare, nec in alios insurgere debet. Gloria enim tua, inquit, in te, non in alio est: cūque dicendum esset, opem nobis feras ne scandalizemur, è contrario nimium sibi arrogans, inquit: Et si omnes scādalizati fuerint in te, tamen ego non scandalizaber: quanvis omnes id patiantur, ego tamen solus non patiar. Ita hæc res sensum eum ad terrum, & insolens crimen deuehebat, quem reprimere Christus volens, quoniam nec propheta, nec sibi obtemperavit, negationem fieri permisit: idcirco enim testantem quoque prophetam adduxit. ne quid repugnare auderet. Quare Petrus cū verbis nō crederet. à rebus ipsis eruditur. Ut autem credas hac de causa permissione diuina Petrū negasse Christum, audias. Ego inquit, deprecatus sum pro te, ut non deficiat fides tua: hoc enim ut vehementius eum tãgeret, dicebat, significans eius causam multo peiorem esse aliorū casu discipulorū, ac ideo maiori etiam patrociniū indigere. Duplex enim crimē erat, tum quia repugnauit, ac restituit, tū quia ceteris seipsum præposuit, imò verò etiam tertiu non paruum crimen eum cōmisse dixerim, quia sibi totum imposuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere illū permisit, ac ideo cæteris prætermisiss ad eum orationē direxit, dicens: Simon ecce Satanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticū, id est tentaret, perturbaret, vexaret: ego autē rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Cur nā si omnes expetiuit, pro omnibus deprecatus nō est? Pater, hinc quod paulo ante dicebā, quia vehemētius eum tãgens, & ostendēs multo peioris eius, quā aliorum lapsum esse, ad eum cōuertit orationem

Luc. 22

tionem

tionē. Cur autem nō dixit, Ego non dimisi, sed ego deprecatus sum? Humilius iam loquitur ad passionē iturus, vt humanitatē suam demōstret. Nam qui super cōfessionem eius ecclesiam ita fundauit, atque muniuit, vt nullū periculū, neque mors ipsa posset eum superare, qui clauēs regni cōlorū ei cōcessit, & totā potestatem ei cōmisit, nec vnquā pro illis omnibus oratione indiguerit, quāto minus hac in re indiguisset? Maxima quippe autoritate, illa dicta, ædificabo super te Ecclesiā meam, & dabo tibi clauēs regni cōlorum. Quomodo igitur, orare ei opus fuit, vt vni⁹ hominis cōmōtū animū stabiliret? Quare igitur ita dixit? Propter causam profecto, quā iam exposuimus: & propter infirmitatē discipulorū qui nōdum decētem omnino de ipso existimationē habebāt. Quomodo igitur negauit? Nō dixit quippe nō negabis: sed, vt nō deficiat fides tua. Curā enim ipsius; atq; fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret: ingens enim paor eū inuaserat, & ingēs ideo, quoniā diuina protectione valde fuit denudatus, quod porro factū est propter arrogantiam, & cōtradiciū pertinacem duritiā. Ita quoniam & Christo, & prophete apertissimē repugnauit, in eū terrorem deuenire permisit, vt radicitus ab eo illē passiōes euellerētur: adeo enim pertinax fuit, vt cū Christus ei dixit: *Amē dico tibi quoniā hac nocte, antequā cantet gallus, ter me negabis.* nō dubitauerit respōdere: Si oportuerit me mori tecum, nō te negabo. Lucas vero ad hoc addit, quia quanto magis Christus casurum petrum significabat, tanto magis affirmabat id se nunquam passurum. Quid hoc est o Petre: quando vnus ex vobis me tradet, Christus dicebat, tūc ne esses ille, timebas, & nullius rei conscius cogeas vnū de discipulis interrogare ipsum: nūc vero liquidissimē ipso clauante, quia omnes vos in scandalum incidetis, contradicere audes? neque id semel solū facis, sed bis & sapius, vt Lucas asserit, vnde id tibi accidit? Ex multo certē amore, & multa volūtate. Nam quoniam à sollicitudine illa, quam de proditione frustraueam cognouit, nimium sibiipsi confusus hęc dicebat, & in alios insurgebat dicens: etsi omnes in te scādalizati fuerint, ego tamen nunquam scandalizabor. Puto autem ambitione quoque aliqua, & iactātia in ea verba Petrum lapsum fuisse. Nam & in ipsa cēna quisnam inter eos maior esset ambigebant, adeo inanis gloriæ passio-

Lucā 22.

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

animos adhuc eorum turbabat: Christus autem ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationem, absit hoc enim, sed fauorē suum ab eo subtraxit, & humanam redarguit naturam. Perspice autem quomodo post resurrectionē hinc eruditus submissius loquitur: cum enim dixerat, Domine, hic autem quid? coarguit nihil apponere ausus tacuit: cūque audierit, nō est vestrum nosse tēpora, aut momēta, nō repugnauit. Deinde in cœnaculo & sindone cum voce audierit, quæ deus mundauit, tu noli communia dicere: quāuis nec quid diceretur quidem statim intellexerit, quicquid tamen in illo omnino vsus cōsensione: hæc omnia casus ille perfecit. Nam antea totum sibi attribuebat, dicens: Et si omnes scādalizati fuerint in te: Ego tamen nunquam scandalizabor. Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: cum dicere debuisset, si patrocínio tuo iuabaris, è contrā verò postea dicit, Quid nobis attenditis quasi propria virtute, vel potestate ipsum ambulare fecerimus? Magnum profecto dogma hinc discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur. Et quia nihil lucrari poterimus superiori patrocínio, si voluntas nostra repugnat: quorum alterū Petrus, alterum Iudas cōfirmat: hic enim etsi præsidiū Christi largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nullam inde vtilitatem cōsecutus est: ille verò etsi bene animatus fuerat, diuino tamen subtrācto auxilio, stare nō potuit. Quas ob res vehemēter rogo atque obsecro, ne velitis cuncta ita deo attribuere, vt oscitandum dormiendūque vobis putetis: nec rursus si vigilatis: laboribus rem vestris aliquam effici arbitremini. Nam nec desides, atque resūpinos iacere nos deus vult, ac ideo nonnihil à nobis petit: nec arrogantia corrumpi, ac ideo totum nobis nō commisit: ita ex vtraque parte incommodo remoto, quod nobis vtile, ac necessarium idem operatur: quibus rationibus verticē quoque Apostolorū labi permisit, humiliorem ipsum faciēdo, & ad maiorem profectū charitatem inducēdo. Credamus itaque vbiq; deo, nec repugnemus ei, etiā si sensui, & cogitationi nostræ absurdū esse videatur quod dicit, superet & sensum, & rationem nostrā quæso ipsius, quod in omnia & præcipuē in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes. Nam

verbis

Ioan. 23.

Act. 1.

Act. 9.

verbis eius defraudari nō possumus, sensus vero noster de-
 ceptu facilimus est: illa falsa esse nō possunt, hic sæpius atq;
 sæpius fallitur: quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meū *Mar. 14*
 nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intel- *Luca. 22*
 lectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis
 à Christo, sed rebus sensibilibus: omnia verò quæ tradidit,
 insensibilia sunt. Sic & in baptismo per aquam, quæ res sen-
 sibilis est, donū illud conceditur: quod autē in ea conficitur,
 regeneratio scilicet ac renouatio, intelligibile quidem est:
 nam si tu incorporeus esses, nudē ipsa dona incorporea tra-
 didisset tibi: quoniā vero corpori coniuncta est anima tua,
 in sensibilibus intelligenda tibi tradūtur. O quot modo di-
 cunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ip-
 sa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tā-
 gis, ipsum comedis. Vestimēta eius desideras videre, ipse ve-
 ro seipsum tibi tradidit, non vt videas solum, verumctiam vt
 tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat. Nam
 si Iudæi stantes calceati, & baculos in manibus habētes cū
 festinatione comedebant, quanto magis nobis vigilandum
 est? Nā illi ab Aegypto in Palestinā erāt profecturi, ac ideo *Exod. 12*
 viatoris habitū habebant, tu de terra in cælum ascensurus
 es. Vigilandum igitur est, non enim paruum supplicium in-
 digne communicantes expectat. Cogita quāta indignatio-
 ne aduersus proditorē, aduersus eos qui crucifixērūt ipsum
 mouearis: & caue ne tu quoque corporis & sanguinis Chri-
 sti reus efficiaris. Illi acerbissimē trucidarunt, tu post tot tā-
 taq; beneficia sordida suscipis omnia. Non enim sufficit ipsi
 hominem fieri, flagellis interim cædi: sed nos secum in vnā,
 vt ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed re ip-
 sa nos corpus suum efficit. Quæ igitur re mundiorem esse
 non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est: quos
 radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc
 coronam pertractat, os quod igne impletur spiritali, lingua
 quæ cruentatur hoc admirabili sanguine: Veniat in mentē
 tibi quā sis honoratus, quā mensa fruaris. Ea nanque re nō
 alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pauore,
 propter fulgorem, qui inde resilit aspicere possunt, & nos
 in vnā cum illo massam reducimur, Christi corpus vnum,
 & caro vna. Quis loquetur potentias domini, auditas faciet *Psal. 135*
 omnes laudes eius? quis pastor vnquam membris suis oues

suas nutrit? Multae matres post partum aliis nutricibus in-
 fantes dederunt, quod ipse facere nolit, sed proprio corpore
 nos alij, & sibi coniungit atque conglutinat. Consideremus
 autem, inquires, licet aperte ad omnes pertineat. Nam si ad
 naturam nostram descendit, patet quoniam ad omnes: quod
 si ad omnes, & ad unumquemque profectum. Sed quomodo
 non omnes inde lucrum consecuti sunt, inquires? Id certe non
 illius causa, qui maxime hoc optat, accidit: sed eorum culpa
 qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc
 mysterium se coniungit, & quos peperit non alij nutriendos
 tradidit, sed ipse studiosissime alit, hac etiam re tibi persua-
 dens carnem illam tuam assumpsisse tanta igitur charitate, atque
 honore affecti non torpeamus. Non videtis quanta infan-
 tes animi alacritate mamillas arripiunt: qua pressione papil-
 lis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc
 mensam, & ad huius calicis spiritalem accedamus papillam,
 immo vero maiore desiderio quasi lactentes pueri gratiam
 spiritus sugamus: unus sit nobis dolor, una moestitia, si hoc
 alimentum spirituali priuamur. Non sunt humanae virtutis hae
 opera, quae tunc in illa cena consecuit: ipse nunc quoque ope-
 ratur, ipse perfecit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui
 vero hanc sanctificat, & transmutat, ipse est, loco animo acce-
 dat. Cum discipulis, inquit, meis facio pascha: haec enim illa,
 non alia mensa est, haec nulla re minor quam illa est. Non
 enim illam Christus, hanc homo quispiam facit: sed utraque
 ipse. Hoc est illud coenaculum ubi tunc Christus cum discipu-
 lis erat, hinc ad montem oliuarum exiuit. Hinc & nos ad ma-
 nus pauperum excamus, ibi enim mons oliuarum est. Oliuae
 quippe in domo dei plantatae, multitudo pauperum est, hinc
 stillat illud guttatim oleum, quo nobis tunc opus omnino erit:
 hoc est, quod quinque illae virgines habebant: hoc est, quo
 alterae carentes & perierunt: hoc nobiscum habentes pro-
 grediamur, & cum fulgentissimis lampadibus ad sponsum
 proficiscamur. Adeat nullus crudelis, nullus immisericors,
 nullus impurus quouis modo: haec tam ad vos, qui commu-
 nicatis, quam ad vos qui ministratis dicta esse volo. Oportet
 enim eadem ad vos dicere, ut magno studio, & diligenti
 cura dona haec distribuatis. Non parua vobis imminet pena
 si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensae
 participationem permittatis. Sanguis enim ex manibus re-
 quiritur

quiritur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidissimus aquæ fons ut intactū gregi seruares tibi commissus esset, cum petulos suos ac sordidissimos venire aspiceres, nō patereris in fluenta illos insilire, nec fontem ab his perturbari. Nunc vero eū nō aque, sed sanguinis & spiritus sacratissimus fons cōmissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque contristeris? Et quam veniam huius contēptus consequeris? Idcirco vos deus tanto voluit honore decorare, ut hæc diligentissimè discernatis. Hæc est dignitas vestra, hæc est stabilitas, hæc corona, non quia tunicā induti candidissimam per ecclesiam ambulatis. Sed unde, inquires, ego illum atque illum qualis cognoscere possum? Nō de ignotis, sed de notis hæc disputo. Dico horribile quoddā atque tremendū: non est ita malum dæmoniacos intus esse, sicut istos qui peccatorū sordibus polluantur. Illud enim pessimū est, sicut Paulus ait, Christū cōculcare, & testamenti sanguinē ducere cōmunem, & spiritus gratiā contemnere. Multo igitur dæmoniaco peior est, qui peccati sibi cōscius accedit, illi enim quoniam dæmone vexātur, non puniuntur: qui vero indignè adeunt, æternis tradentur tormētis. Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit nullus impuro animo, sicut Iudas, panem assumat, ne similia patiatur. Corpus Christi etiam hæc multitudo est, quare cauendum tibi est, qui hæc mysteria ministras, ne dominū irrites, corpus hoc non purgando, nec acutum gladium pro cibo præbeas. Sed siquidē aliquis ignoratione mensam aduerit, nullo timore territus abiice: Deum, non hominem timeas: si hominē times, ab eo ipso quem times, derideberis: fin vero deum, hominibus quoque venerabilis eris. Quod si ipse pellere nō audes, mihi dicas, nō permittā ista fieri, animā prius tradā meā, quā dominicū alicui corpus indignè, sanguinēque meū effundi potius patiar, q̄ sacratissimum illum sanguinē præterquam digno concedā. Quod si quis venerit cū sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est. Nam hæc mihi de notis ac manifestis disputata sunt, quibus emendatis, cito nobis deus etiam ignotos notificabit: fin vero notos admittemus, quā de causā ignotos nobis manifestabit.

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Hæc mihi dicta sunt, non vt coerceamus solum, sed vt corrigamus, & reducamus, & curâ omnium habeamus: sic enim & deum nobis propiciū faciemus, & eos multiplicabimus qui dignè communicare possint, vt tam vestri studij ac diligentia, quàm piæ in alios curæ magna præmia cōsequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXIII.
EX CAP. XXVI.

Mar. 14
Lucæ. 22

T

*Vnc venit cum eis Iesus in villam quæ dicitur Geth-se-
mane, & dicit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam
illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Ze-
bedæi, cepit contristari & mæstus esse, & dixit eis:
Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic,
& vigilate mecum, &c. Quoniam ipsi valde inhærebant,
nec ab eo libenter separabantur, idcirco confedere tibi iu-
bet, donec abiens oraret. Consueuerat namque seorsum ora-
re, quod faciebat vt nos erudiret, quietem ac tranquillita-
tem in orationibus diligenter appetere. Tres autem secum
accepit, & dicit eis. Tristis est anima mea vsque ad mortem.
Quamobrem alios non secum accepit: Ne laberentur, & ca-
derent: illos autem solos elegit, qui gloriam eius in monte
viderunt, quos tamen etiam dimisit, & paululum progressus
orauit, dicens: Pater si possibile est, transeat à me calix iste: ve-
runtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad eos, & inue-
nit eos dormientes, & dicit Petre: Ita non potuisti vna hora vigi-
lare mecum? Vigilate igitur, vt non intretis in tentationem. Spi-
ritus quidem promptus est, caro autem infirma. Non frustra, neq;
ociose ad Petrum maxime dirigit orationem, quanquam &
alij similiter dormirent: sed tãgere ipsum acrius etiam hinc
vult, ea de causa quam iam ante explicauimus. Verû quo-
niã & ceteri pariter dixerunt: cùm enim Petrus dixisset:
Et si oportuerit me tecum mori, nõ te nego: similiter, in-
quit, omnes discipuli dixerunt. Idcirco infirmitatem eorum
redarguens omnes alloquitur: nam qui mori cū eo volebãt,
nec quando contristabatur quidem, contristari negligentes
potuerunt, sed victi à somno, ceciderunt. Ipse vero intetius
orat, adeo vt vel sudores vberius defluerint. Ea rursus de
causa, ne hypocrisis res ista videatur, neve possint hæretici
dicere, quia sollicitudinem & tristitiã istam simulauerit, id-
circo*

Mar. 14